






BIBLIOTEC
EMANUELE III

OFFICIUM

PARVUM

S. CRUCIS



OFFICIUM PARVUM

S. CRUCIS

Quod recitatur qual. fer. 6. Quadragesimae in Regali Palatina Capella.

AD MATUTINUM.

℣. Per signum Crucis de inimicis nostris:

℟. Libera nos Deus noster.

Ita dicit. in principio horarum.

Domine labia mea aperies.

℟. Et os meum annuntiabit laudem tuam.

℣. Deus in adjutorium meum intende.

℟. Domine ad adjuvandum me festina.

Gloria Patri, et Filio, etc.

Non dic. Alleluja, *nec* Laus tibi Domine.

Hymnus.

Patris sapientia, veritas divina:
Deus homo captus est hora matutina.
A notis discipulis cito derelictus:
A Judaeis traditus, venditus, et afflictus.

Antiph. O Crux venerabilis, quae salutem attulisti miseris: quibus te efferam praeconiis, quoniam vitam nobis coelitem praeparasti?

℣. Adoramus te Christe, et benedicimus tibi.

℟. Quia per sanctam Crucem tuam redemisti mundum.

Oratio.

Domine Jesu Christe, Fili Dei vivi, pone Passionem, Crucem, et mortem tuam inter judicium tuum, et animam meam, nunc, et in hora mortis meae: et mihi largiri digneris gratiam et misericordiam: vivis et defunctis requiem et veniam: Ecclesiae tuae pacem et concordiam;

et nobis peccatoribus vitam et gloriam sempiternam. Qui vivis etc.

AD PRIMAM.

℣. Per signum etc.

Deus in adjutorium meum intende.

℟. Domine ad adjuvandum me festina.

Gloria Patri, et Filio etc.

Hymn.

Hora prima Dominum ducunt ad Pilatum,
Et a falsis testibus multum accusatum:
Colaphis percutiunt manibus ligatum:
Vultum Dei conspuunt, lumen coeli gratum.

Antiph. O Crucis victoria, et admirabile signum, in coelesti curia fac nos captare triumphum.

℣. Adoramus te Christe, etc.

Oratio. Domine Jesu, Christe fi-

lii Dei vivi pone passionem, Crucem, et mortem tuam inter judicium tuum, et animam meam, nunc, et in hora mortis meae: et mihi largiri digneris gratiam, et misericordiam: vivis, et defunctis requiem, et veniam: Ecclesiae tuae pacem, et concordiam; et nobis peccatoribus vitam, et gloriam sempiternam. Qui vivis etc.

AD TERTIAM.

℣. Per signum, etc.

Deus in adjutorium meum intende.

℟. Domine ad adjuvandum me festina.

Gloria Patri, et Filio etc.

Hymn.

Crucifige, crucifige, clamitant hora tertiarum:
Illusus induitur veste purpurarum:
Caput ejus pungitur corona spinarum:

Crucem portat humeris ad locum poenarum.

Antiph. Funestae mortis damnatur supplicium, dum Christus in Cruce nostra destruxit vincula criminum.

℣. Adoramus te Christe, etc.

Oratio. Domine Jesu Christe fili Dei vivi pone passionem, Crucem, et mortem tuam inter judicium tuum, et animam meam, nunc, et in hora mortis meae: et mihi largiri digneris gratiam, et misericordiam: vivis, et defunctis requiem, et veniam: Ecclesiae tuae pacem, et concordiam, et nobis peccatoribus vitam, et gloriam sempiternam. Qui vivis etc.

AD SEXTAM.

℣. Per signum, etc.

Deus in adjutorium meum intende.

℟. Domine ad adjuvandum me festina.

Gloria Patri, et Filio, etc.

Hymn.

Hora sexta Jesus est Cruci conclavatus.
Et cum latronibus pendens est deputatus:
Prae tormentis sitiens felle saturatus:
Agnus crimen diluens, sic est ludificatus.

Antiph. Per lignum servi facti sumus, et per sanctam Crucem liberati sumus: fructus arboris seduxit nos: Filius Dei redemit nos.

℣. Adoramus te Christe, etc.

Oratio. Domine Jesu Christe, Fili Dei vivi, pone Passionem, Crucem, et mortem tuam inter judicium tuum, et animam meam, nunc, et in hora mortis meae: et mihi largiri digneris gratiam et misericordiam: vivis et defunctis requiem et veniam: Ecclesiae tuae pacem et concordiam; et nobis peccatoribus vitam, et gloriam sempiternam. Qui vivis etc.

AD NONAM.

℣. Per signum, etc.

Deus in adjutorium meum intende.

℟. Domine ad adjuvandum me festina.

Gloria Patri, etc.

Hymn.

Hora nona Dominus Jesus exspiravit:
Eli clamans spiritum Patri commendavit:
Latus ejus lancea miles perforavit:
Terra tunc contremuit, et sol se obscuravit.

Antiph. O magnum pietatis opus! mors mortua tunc est, in ligno, quando mortua vita fuit.

℣. Adoramus te Christe, etc.

Oratio. Domine Jesu Christe fili Dei vivi pone passionem, Crucem, et mortem tuam inter judicium tuum, et animam meam, nunc, et in hora

mortis meae: et mihi largiri digneris gratiam, et misericordiam, vivis, et defunctis requiem, et veniam: Ecclesiae tuae pacem, et concordiam, et nobis peccatoribus vitam et gloriam sempiternam. Qui vivis, et regnas etc.

AD VESPERAS.

℣. Per signum, etc.

Deus in adjutorium meum intende.

℟. Domine ad adjuvandum me festina.

Gloria Patri, etc.

Hymnus.

De Cruce deponitur hora vespertina:
Fortitudo latuit in mente divina:
Talem mortem subiit vitae medicina:
Heu corona gloriae jacuit supina!

Antiph. O Crux benedicta, quae sola fuisti digna portare talentum

mundi; dulce lignum, dulces clavos, dulcia ferens pondera: super omnia ligna cedrorum tu sola excelsior, in qua mundi salus pependit, in qua Christus triumphavit, et mors mortem superavit in aeternum.

℣. Adoramus te Christe, etc.

Oratio. Domine Jesu Christe fili Dei vivi pone passionem, Crucem, et mortem tuam inter judicium tuum, et animam meam, nunc, et in hora mortis meae, et mihi largiri digneris gratiam, et misericordiam: vivis, et defunctis requiem, et veniam: Ecclesiae tuae pacem, et concordiam, et nobis peccatoribus vitam, et gloriam sempiternam. Qui vivis, et regnas etc.

AD COMPLETORIUM.

℣. Per signum, etc.

Converte nos Deus salutaris noster.

℟. Et averte iram tuam a nobis.

℣. Deus in adjutorium meum intende.

℟. Domine ad adjuvandum me festina.
Gloria Patri, etc.

Hymn.

Hora Completorii datur sepulturae
Corpus Christi nobile, spes vitae futurae:
Conditur aromate: complentur Scripturae.
Jugis sit memoria mortis suae durae.

Antiph. Salvator mundi salva nos, qui per Crucem, et sanguinem tuum redemisti nos; auxiliare nobis, te deprecamur, Deus noster.

℣. Adoramus te Christe, etc.

Oratio. Domine Jesu Christe fili Dei vivi, pone passionem, Crucem, et mortem tuam inter judicium tuum, et animam meam, nunc, et in hora mortis meae, et mihi largiri digneris gratiam, et misericordiam: vivis, et defunctis requiem, et veniam: Ecclesiae tunc pacem, et concordiam, et nobis peccatoribus vi-

tam, et gloriam sempiternam. Qui vivis et regnas etc.

Commendatio.

Has Horas canonicas cum devotione.
Tibi, Christe, recolo pia ratione:
Ut qui pro me passus es amoris ardore,
Sis mihi solatium mortis in agone. Amen.

Hymnus.

Vexilla Regis prodeunt:
Fulget Crucis mysterium,
Qua vita mortem pertulit,
Et morte vitam protulit.
Quae vulnerata lanceae
Mucrone diro, criminum
Ut nos lavaret sordibus,
Manavit unda, et sanguine.
Impleta sunt, quae concinit
David fideli carmine,

Dicendo nationibus:
Regnavit a ligno Deus.
Arbor decora, et fulgida,
Ornata Regis purpura,
Electa digno stipite
Tam sancta membra tangere.
Beata, cujus brachiis
Pretium pependit saeculi,
Statera facta corporis,
Tulitque praedam tartari.
O Crux ave spes unica,
* Hoc passionis tempore,
Piis adauge gratiam,
Reisque dele crimina.
Te, fons salutis, Trinitas,
Collaudet omnis spiritus:
Quibus Crucis victoriam
Largiris, adde praemium. Amen
Temp. Pasch. dic.
Paschale quae fers gaudium.
Per annum.
In hac triumphi gloria.

Oratio.

Respice, quaesumus Domine, su-

per hanc familiam tuam, pro qua Dominus noster Jesus Christus non dubitavit manibus tradi nocentium, et crucis subire tormentum.

Qui tecum vivit, et regnat in saecula saeculorum. Amen.





